

fendi cupido attraxerat. Marinus Justinianus, Reipublicæ legatus, qui Cæsarem in Africam sequutus fuerat, fato concessit; Nicolaus Pontius, Doctor, qui tum Utini magistratum gerebat, suffectus est. Veneti interea superiori bello perculsi, quæ Turcarum animis suspicionem incutere possent, ea sibi, ne illorum arma in se provocarent, sedulo vitanda ducebant. Hinc, ne Viceriæ Concilium haberetur, quod antea decretum fuerat, Senatus censuit, ne in Veneta urbe tot Principibus, ac proceribus coactis, ad fœdus in illos faciendum incitare, facesque ad sacrum bellum admovere videretur: cum per eos dies illud quoque accidisset, ut duæ rostratæ triremes e Numidia Byzantium contendentes, Veneta conspecta classe, se fugæ dedissent; præfectus piraticas esse suspicatus, Turcis ferre omnibus interfectis, Christianis ad transtra ablegatis libertate restituta, in suam potestatem redegisset: qua ex re Chariadenus magnopere iratus vindictam minabatur. Patres factum jure tuebantur, reque varie agitata, cunctatione, officiis, pecunia ex pacis conditionibus, qua illata detrimenta sarcirentur, adhibita, discussa molestia est.

1541

*Marini
Justiniani,
ad Cæsarem
oratoris,
obitus.*

*Nicolaus
Pontius ad
Cæsarem
orator.
Senatus, ne
Concilium
Viceriæ
haberetur,
decernit.*

*Triremes
Numidicæ
a Veneta
classe cap-
tæ.*

M. D. XXXXII.

1542

Polinus interea cum Byzantium pervenisset, ut classem, Chariadeno duce, ad oram Provinciæ, Galliæ portubus excipiendam, ineunte ætate mitteret, a Suleimano petebat, Venetosque, ut Galliarum Regi novo fœdere se adjungerent, & socia in Cæsarem arma verterent, adhortaretur. Janusbejum, sæpe antea legationis ad Venetos munere perfunctum, firmandæ pacis causâ ad Senatum Suleimanus designaverat, cui in mandatis dederat, ut nihil amplius a Patribus postularet, quam, ut amicitiam, quæ illis cum Gallorum gente intercedebat, novis officiis, ac propensiore studio excultam augerent. Janusbejus Venetias delatus, publica æde exceptus, ac honorifice habitus, sui Regis mandata Senatui exponit. Renovati fœderis conditiones, uti publico nomine Baduarius pepigerat, jurejurando interposito, de more Princeps, ac Senatus confirmant: quod ad Gallos attinet, pacem, atque amicitiam cum Rege colere: verum ad ea descendere, quibus ad bellum traheretur, Rempublicam nolle.

*Polinus, ut
Suleimanus
classem ad
Provinciæ
oras mitteret,
petit.*

*Janusbe-
jus a Sulei-
mano Venetias ob pacis confirmationem
mittitur.*

Po-